UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Solertia

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

Flagitia, quæ ſunt contra naturam, vbiq; & ſemper repudianda atq; punienda ſunt, qualia Sodomitarum fuerunt: quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur: quæ non ſic fecit homines, vt ſe illo vterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cuius ipſe author eſt, libidinis peruerſitate polluitur. *Idem confeſſ. li. 3. & hab. ibid. can. Flagitia.*

Offerebat S. Loth filiarum pudorem. Nam etſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, tamen minus erat ſecundum naturam coire, quam aduerſus naturam delinquere: præferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpitalem gratiam, & apud barbaras gentes inuiolabilem. *Ambroſ. libr. de Patriarch. & habetur 32. quæſt. 7. can. Offerebat.*

Quid poteſt ſanctum eſſe iis, qui ætatem imbecillam, & præſidio indigentem, libidini ſuæ depopulandam, fœdandamque ſubſtrauerint? Non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios & parricidas, quibus non ſufficiat ſexus à Deo datus, niſi & ſuum profane ac petulanter illudant. Hæc tamen inter illos leuia, & quaſi honeſta ſunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his forte credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt, quia fit. De iſtis loquor, quorum deterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas proſequar? Vincit officium linguæ, ſceleris magnitudo. Quum igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora deſignet, armandi aduerſus eam virtute maxima ſumus. Quiſquis affectus illos frenare non poteſt, cohibeat eos intra præſcriptum legitimi thori, vt & illud, quod auide expetit, aſſequatur, & tamen in peccatum non incidat. *Lactant. Firm. l. 6. c. 13, de vero cultu.*

¶ SENTENTIAE POETICAE.

Ouidius de Arte amandi.

Odi concubitus, qui non vtrinq; reſoluunt,
Hoc eſt, cur pueri tangar amore minus.

Tibullus.

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ,
Nam cauſam iniuſti ſemper amoris habent.

Vide Adulterium, Fornicatio, Scortatio, Amor Venereus.

Solennitas.

¶ DEFINITIO ET ETYMOL.

Solennitas, Græce ἑορτή, ῆς, ἡ, dici poteſt. Diciturq; ſolenne, quod eſt, quod omnibus annis præſtari debet, à ſolus & annus, hoc eſt, anniuerſarium. Quare ſolennes ceremonias dicimus, quæ ſunt anniuerſario ſacrificio religioſæ: tempore ſacra ſolennia, quæ in certis & ſtatutis temporibus fiunt.

¶ LOCI BIBLICI.

Solennitates Hebræorum præcipue tres, *Exod. 23. v. 14. 17. Leuit. 23. 1. & c. Deut. 16. & c.* ſolennitas Azimorum, *Exod. 23. 13. & 34. 18. Leu. 23. v. 5. 6. Num. 28. 17. Deut. 16. v. 1. 2. 5.* ſolennitas Expiationum, *Leu. 16. 30. & 23. 27. Num. 29. v. 7. 8.* ſolennitas Hebdomadarum, *Ex. 24. 22.* ſolennitas Meſſis ſeu Pentecoſtes, *Exod. 23. 16. & 32. 22. Num. 28. 26. Leuit. 23. v. 15. 16. Deut. 16. v. 9. 10. Ioan. 5. 1. Actor. 2. 1. & 20. 16. 1. Corinth. 16. 8.* ſolennitas Primitiarum, *Leuit. 23. 10.* ſolennitas Epularum, *Eſth. 9. 18.* ſolennitas Tabernaculorum, *Exod. 23. 16. Leu. 23. v. 39. 41. Num. 22. 12. Deu. 16. 13. & 31. 10. 2. Eſth. 3. v. 4. Nehe. 8. 18. 2. Macch. 1. 9. & 10. v. 6. Ioan. 3. v. 2.* ſolennitas Tubarum, *Leuit. 23. 24. Num. 29. v. 1. 2. Paral. 5. 3.* ſolennitas Neomeniæ, *Nu. 28. 11. 1. Sam. 20. 5. Ezech. 45. 18.* ſolennitatum ſeu feſtorum violatio quare grauiter puniatur, *Nu. 15. 32.* In ſolennitate diei feſti quare non captus Chriſtus, *Matth. 26. 5.*

¶ PATRVM SENTENTIAE.

Si quæras, cur Chriſtianus non obſeruat otium ſabbathi, cum Dominus non venerit ſoluere legem, ſed implere? Reſpondeo: Iſtud non obſeruat Chriſtianus, quia quod ea figura profitebatur, iam ipſe impleuit. In iſto habemus Sabbathum: quid dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & inuenietis requiem animabus veſtris. *Aug. contra Fauſt. l. 3.*

Sacrum Sabbathum eſt antiquis Patribus præceptum, quod nos Chriſtiani ſpiritualiter obſeruamus, quum ab omni ſeruili opere, id eſt, ab omni peccato abſtinemus, & habemus quietem in corde, & ſpiritualem tranquillitatem. *Idem ſup. Ioan. ſerm. 20.*

Toties dies natalitios ſanctorum celebramus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terris, vt ad gloriam illius, à quo totum habuimus, referamus. *Auguſtin. in ſermone.*

Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquod vtile, quam in theatro ſeditioſus exiſteret; & melius fœminæ eorum die ſabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis ſuis impudice ſaltarent. *l. de decem chordis.*

Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus inſiſtendum, vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ precibus expietur. *Registro.*

Quid prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi contingat deeſſe feſtis Angelorum? *Homil. 33. in Euang.*

Si deſinas ab omnibus ſecularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, ad Eccleſiam conuenias, lectionibus diuinis autem præbeas, de cœleſtibus cogites, de futura ſpe ſolicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non reſpicias ad præſentia & viſibilia, ſed ad inuiſibilia & futura, hæc eſt obſeruatio Sabbathi Chriſtiano. *Orig. ſup. Exod. homil.*

¶ SENTENTIAE POETICAE.

Virg. Georg. lib. 1.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus,
Fas & iura ſinunt, riuos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias auibus moliri, incendere vepres,
Balantumq; gregem fluuio merſare ſalubri,
Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemq; reuertens
Inciſum, aut atræ maſſam picis vrbe reportat.

Ouid. de Pont. lib. 2. Eleg. 1.

Dii quoque vt à cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta iubent.

Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,
Et graue ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boues capite.
Omnia ſint operata Deo, non audeat vlla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.
Vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent ſuperis: pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

¶ SENTENTIÆ PHILOSOPHICÆ.

Scæuola conſultus, quid feriis agi liceret? reſpondit, quod prætermiſſum noceret. Quapropter ſi bos in ſpecum deciderit, eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe: nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo, ab imminenti vindicauit ruina. Vnde & Virgil. Maro olim diſciplinarum omnium ſciens lauari ouem, aut lanæ purgandæ, aut ſcabiei curandæ gratia, pronuntiauit tunc ouem per ferias licere merſare, ſi hoc remedii cauſa fieret: Balantumq; gregem fluuio merſare ſalubri. Adiiciendo enim ſalubri oſtendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam oblucrum purgandæ lanæ cauſa fieri conceſſum. Quod ſi ſacra ſolennia ſalubri fluuio merſare oues fas & iura ſinunt, & ſi riuos deducere religio nulla prohibet, cur non religioſum putetur, ſacris dicare diebus ſacrum ſtudium literarum? *Macrob. Saturnal. c. 16.*

Vide Feſtum.

Solertia.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Solertia, Græce πανουργία, ας, ἡ, & πανοῦργος, ου, ὁ, ſolers. Eſt autem ſolertia, ſubtilitas quædam in non perſpecto tempore inueniendi medii, *ſecund. Ariſt.* vel eſt habitus ex repente conueniens, quod conuenit, *ſecund. B. Thom. 3. ſent. diſtinct. art. 1.*

Solertia eſt quædam ſubtilis, & facilis, & prompta inuentio medii, propter quod aliquid venit, & hoc quando non habet magnum tempus ad perſpiciendum & deliberandum. *Thom. ſuper Poſt. lect. c. circa fin.*

¶ POETARVM DICTA.

Claud. 3. rapt.

Prouocet vt ſegnes animos, rerumque remotas
Ingenioſa vias paulatim exploret egeſtas,
Vtque artes pariat ſolertia, nutriat vſus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Manil. 1.
...nia comando docilis ſolertia vincit.
...c primus impoſuit rebus finemq́; manumq́;,
...am cœlum aſcendit ratio, cepitque profundis.
...turam rerum cauſis, viditq́; quod vſquam eſt.

Plaut. Rud.
Opera haud fui parcus mea, nimis homo.
...ihili eſt, qui piger eſt, nimiſque id genus odi ego male.

¶ SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

...tia eſt perſpicacitas quædam, per quam cuiuſque rei me-
...cauſa nobis ſtatim occurrit. Veluti, ſi quis videns ſemper
...partem lunæ ad ſolem eſſe conuerſam, continuo excogi-
...rita ſit; nempe quod luna ſolis lumine illuſtratur. *Ariſt.*
...monſtr. c. 27. T. 44.
...tia eſt quædam bona coniectatio in non perfecto tempore
...Ariſt. poſt. l. 1. c. 28. T. 44.
...s videns cauſas medias cognoſcit extremas. *ibid.*
...tia eſt quædam coniectatio bona. *Lib. 6. Ethic. c. 9.*
...tia eſt ſubtilitas quædam medii inueniendi parua delibe-
... Alb. Magn. in Poſt.
...tia eſt bona diſpoſitio, velociter inueniendi cauſas multas.
...anim. c. 12. tract. 3.
...tia eſt artificioſa quædam diſceptatio, quæ fit maioris vti-
...gratia. *Franc. Patr. de regn. l. 6. c. 16.*

¶ APOPHTHEGMATA.

...honſus Rex. Quum eſſent apud Alphonſum Aragonium,
...ſim beſtiarum contra homines defenderent, & modo tur-
...titatem, modo cornicis (quæ mortuo compare nouem ho-
...ætates vidua perdurat) modo formicarum prouidentiam,
...canum ſagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo a-
...n regem obſeruantiam, & id genus multa pro animalibus (è
...Plutarcho, Æliano & aliis petita) afferrent in medium, Al-
...ſiue, inquit, id brutis inclinatione naturæ, ſiue Dei dono
...; certe non alia de cauſa conceſſum eſſe exiſtimo, quam
...mines turpiter nequiterq; viuentes, erubeſcant à brutis & à
...s expertibus ſuperari. *Panorm. l. 3. de reb. geſt. Alphonſi.*
...iſthenes. Adoleſcentes Socratem videre cupientes, philoſo-
...m omnium ſapientiſſimum, duxit ad Anyti domum, dicens,
...ſtrate multo eſſe ſapientiorem, vt qui Socratem accuſaſſet.
...dictum reuocatum eſt ciuibus extincti Socratis deſiderium
...yum expulerunt. *Laert. l. 6. c. 1.*
...gſilaus. Lacedæmoniorum Rex, in compotatione quadam
...s ex more conuiuii dux factus, quum percontaretur à pin-
..., quantum vnicuique vini adponere deberet? Si multum, in-
..., vini paratum eſt, dato cuique quantum poſtulat: ſin parum
...s diuidito æquis pertionibus. Et hac ſolertia mire proſpe-
..., ne parata vini copia deeſſet, quibus largior placeret potatio,
...d bibendum vrgerentur, quibus grata eſſet ſobrietas. *Plut. in*
...

...gis primus vicerat Argiuos prælio, qui poſt redintegratis vi-
...s rurſum ferociores illi occurrebant. Agis autem videns, mul-
...e ſociis turbari: Sitis, inquit, bono animo, viri, quum enim
..., qui vicimus, trepidamus, quid facere cenſetis eos, qui à nobis
...tione? Et ea ſolertia addidit animum ſuis. *Plutarchus in La-*
...

Quum inter Ariſtippum & Æſchinem incidiſſet ſimultas, qui-
...autem diceret: Vb nunc illa veſtra amicitia? Dormit, inquit,
...eam excitabo. Itaque ſimultatem Ariſtippus commoda libe-
...que appellatione facile ſuſtulit. Ne ſilentio malum, vt ſolet, in-
...deſceret, vltro adiit Æſchinem: Num, inquit, quamprimum
...bimus in gratiam, ac nugari deſinemus? an potius expectabi-
...mus, vt ſcurris inter pocula de nobis loquendi materiam præbea-
...mus? Cui quum Æſchines reſpondiſſet, ſe lubenti animo reditu-
...m in gratiam: Memento igitur, inquit Ariſtippus, quod quum
...tu natu maior, prior ad te venerim. Tum Æſchines: Ne tu
...profecto vir me longe melior es. Siquidem à me ſimultatis, abs te
...rendæ gratiæ fuit initium. Hoc pacto redintegrata eſt inter il-
...os amicitia. *Laert. l. 2.*

Ariſtides. Cum inter Ariſtidem & Themiſtoclem magna eſſet
...ſimultas, tamen legati ſimul miſſi, vt reipublicæ negotia ex pedi-
...rent: Vis, inquit, Themiſtocles, vt in his montibus inimicitias
...relinquamus? Nam ſi videbitur, cum reuerſi fuerimus, illas reſu-
...memus. Docuit vir prudentiſſimus, omnem ſimultatem depo-
...nendam eſſe.

Braſidas, quum murem in caricis comprehendiſſet, morſus ab
...o dimiſit captum, moxq; ad eos, qui aderant: vt nullum, inquit,
...eſt animal tam minutum, quin ſeruari poſſit, modo auſit vlciſci
...uadentes. Et hoc dicto fortis & animoſus dux ſuis animum con-
...tra hoſtes addidit. *Plut. in Lacon.*

Piſiſtratus, quum multi ab eo defeciſſent, qui Pylen occupa-
...rant, venit ad illos, ſtragulas in ſarcinam colligatas ipſe portans.
Cæterum illis, quid ſibi vellet, percontantibus: Vt, inquit: ſi per-
ſuaſero, reducam vos: ſi non perſuaſero, maneam vobiſcum. *Eraſ.*
lib. 5. apoph.

Vide Diligentia, Labor, Ingenium.

Solicitudo.

¶ DEFINITIO: ET ETYMOL.

Solicitudo, Græce ἀκρίβεια, ας, ἡ, & ἀκρι..., έος, ὁ, ἡ, diligens di-
citur. Eſt autem ſolicitudo ægritudo animi cum cogitatione.
ſec. Cic. l. 4. Tuſc. quæſt.
Solicitudo eſt rationabile ſtudium, adhibitum ad aliquid con-
ſequendum, quod maius eſt: vbi eſt timor, minus eſt, vbi eſt ſecu-
ritas. *ex B. Thom. ſecund Secund. q. 55. art. 6. c....*
Solicitudo temporalium futurorum eſt irrationabile ſtudium,
quo quæruntur futura tanquam fines, & vltra neceſſitatem præ-
ſentis vitæ, de qua Chriſtus Matthæi. 6. Nolite ſoliciti eſſe in cra-
ſtinum.
Solicitudo temporalium tripliciter eſt illicita: Primo, cum tem-
poralia quærimus tanquam finem. Secundo, cum in eis procuran-
dis adeo ſuperfluum adhibetur ſtudium, vt homo retrahatur à ſpi-
ritualibus, quibus principaliter inſeruire debet. Tertio, cum faci-
endo quis quod debet, timet, ne ſibi neceſſaria deſint. De qua Chri-
ſtus Matth. 6. Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus,
aut bibemus, &c. *ex B. Tho ſec. Secund q. 55. art. 6.*
Solicitudo venit à ſolicito verbo, quod dicitur à ſolo & cito,
quaſi ſolo cito, hoc eſt, loco dimoueo. Eſt enim ſolum, quicquid
alicui rei ſubiacet. Virgil. nauium ſolum dixit eſſe mare, cum di-
xit, Subtrahiturque ſolum.

¶ BIBLICI LOCI.

Solicitudo nimia, *Exod.* 34. 21. *Leu.* 25. 20. *Deut.* 8. 3 *Iob.* 7. 10. *Pſ.* 55.
23. & 145. *v.* 15. 16. *Prou.* 10. 3. & 13. 25. *Matth.* 6. 25. & 10. *v.* 9. 23. & 13. 22
& 16. 7. *Luc.* 8. 14. & 12. 22. & 14. 18. & 21. 31. 1. *Cor.* 7, 32. *Phil.* 4. 6. *Heb.* 13.
5. 1. *Pet.* 5. 7. Solicitudo diffidentiæ coniuncta damnatur, quum ſci-
licet homo ſine fide & ſpe auxilii diuini animo angitur de futuris
euentis, cum priuatis, tum publicis, *Matth.* 6. *v.* 25. 31 34. & 13. 22.
Marc. 4. 19. *Luc.* 8. 14. & 12. *v.* 11. 22. *Phil.* 4. 6. 1. *Tim.* 6. 8. 1. *Pet.* 5. 7. *Pſal.*
55. 23. hæc Græcis μέριμνα dicitur.
Solicitudo vocationis, Græcis σπουδὴ dicta, præcipitur, quum ſci-
licet quis euenta quælibet Deo commendat, interim tamen labo-
res ſibi mandatos ſuo loco & tempore pro ſua vocatione ſedulo vr-
get, *Roman.* 11. 12. Solicitudo Pauli pro Eccleſia, 2. *Cor.* 7. 12.
Solicitus Deus pro Abrahamo, *Gen.* 12. 17. ſoliciti ſimus ſeruare
vnitatem ſpiritus vinculo pacis. *Epheſ.* 4. 3.

¶ PATRVM SENTENTIAE.

Amant peruerſi homines pro huius mundi gloria tribulationes
cunctiſque pro ea ſudoribus libenter ſeruiunt, & grauium laborum
iugo deuotiſſime colla ſubmittunt, quod bene ſub Ephraim ſpecie,
Oſea prophetante, deſcribitur, qui ait, Ephraim vitula docta, dili-
gens trituram. Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata, ple-
runq; ad eundem laboris vſum etiam non compulſa reuertitur.
Ita prauorum mens huius mundi ſeruitio dedita, & rerum tempo-
ralium fatigationibus aſſueta: etiamſi ſibi libere vacare liceat, ſub-
eſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat. *Greg. in Moral.*
Ceſſationem Dominus à mundi laboribus imperat, ſanctæ qui-
etis dulcedinem perſuadet, & tamen veſana iniquorum mens plus
ſe aſſequi aſpera carnaliter, quam tenere blanda ſpiritualiter gau-
det: Plus acerbitate fatigationis, quam quiete dulcedinis paſcitur.
ibidem.
Quid per porros & cæpas exprimitur, quæ plerunq; qui come-
dunt, lachrimas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis, quæ à di-
lectoribus ſuis, etſi non ſine luctu agatur, tamen cum lachrymis
agitur? Manna ſibi deferentes cum peponibus ac carnibus porros
cæpaſq; quæſierunt, quia videlicet peruerſæ mentes dulcia per gra-
tiam quietis dona deſpiciunt, & pro carnalibus voluptatibus labo-
rioſa huius mundi itinera etiam lachrymis plena concupiſcunt,
contemnunt habere, vbi ſpiritualiter gaudeant, & deſideranter ap-
petunt, vbi carnaliter gemant. *ibid.*
Plus in hoc mundo honor quam deſpectio occupat, & magis
proſperitatis ſublimitas quam neceſſitatis aduerſitas grauat. Mens
dum pro blanda occupatione premitur, libens ad exteriora deriua-
tur. *ibid.*
Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora diſ-
ponunt, quum ſolicite ad interiora refugiunt, quum nequaquam
perturbationem ſtrepitus diligunt, ſed apud ſemetipſos intus in
tranquillitatis ſinu requieſcunt. *ibid.*
Nonnunquam qui quietus alicuius eſſe meriti creditur, poſitus
in qualibet actione diuiditur. *ibid.*
Sæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus
preſſi ceciderunt, & ſæpe, qui occupati bene vſibus humanis viue-
LLLLL rent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN